VERA GENERIS ET VIRTUTIS NOBILITATE maximè conspicuis Viris:

Dn. BALTHASARI A Deberitz/EQUITI MISNO, &c.

ET

Dn. JOHANNI WILHELMO Fuchs in Bimbach/EQUITI FRANCO:

NEC NON

PRÆSTANTISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO, Dn. GEORGIO HESSELBACH, LL. CANDIDATO, hujus monitori studiorumq; Directori: amicis suis nimium quantum dilectis,

S. P. P.

SCHOLASTICAM *Philosophiam & Theologiam dum barbaram appello*, Viri nobilissimi & humanissimi, *non eam intelligo, quâ multi ex pia antiquitate usi sunt, dum non solum Rhetoricis ornamentis, sed & Philosophicis fundamentis sacram doctrinam expoliverunt, eadem ratione quâ* Hieronymus in Epistola ad Titum *dicit, Apostolum Paulum cum diceret in Areopago argumentum orationis suæ* scholastica *quadam elegantia ab Atheniensibus traxisse; quo sensu etiam Venerabilis*

bilis Beda in libro de arte Metrica *Prudentium vocat nobilissimum Hispanorum Theologum* Scholasticum: *sed novam illam & horridam quam Lutetiæ primus parturivit Petrus Lombardus: Hæc profectò & barbara est, & ut Beatus* Lutherus *loquitur* in lib. contra Jacobum Latomum *ignorātia veritatis & inanis fallacia, quâ admissa* Melanchton *recte ait Evangelium obscuratum & fidem extinctam, Vide enim mihi res quas tractant homines barbari: spinosæ sunt: intuere verba; insulsa, obsoleta sunt: Modum tractandi considera: perplexus est & horridus ac in antro Trophonio natus: ita enim miscent Theologicis philosophica, & rursus Theologica philosophicis, ut miserè hæreas nescius ubi tandem pedem figere possis. Et tamen in his suis crepundiis ita sibi placuerunt, ut honorificum scholasticorum nomen sibi sumpserint. Antiquitus enim scholastici illi salutabantur, qui in aliqua doctrina essent clari teste* Gregor. li. 10. Registri epist. ad Anthem. & Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis *autor est, Serapionem Episcopum Ægypti ob ingenii elegantiam scholastici nomen meruisse. Præterea tam cupidi fuerunt vanæ gloriæ, ut non modò grandiores, & obfertiores libros suos esse voluerint, sed etiam in monasteriis, tēplis & cellis perpetua quasi immortalitatis trophæa erexerint, Epitaphia nunc hæc, nunc illa, at ita me Christus benè amet, ridicula & inepta, statuerint, quorum aliquot ex infinitis in Oratione hac mea annotavi. Quanquam autem in eo videntur excusari posse, quia in nobis insita sunt Zopyra quædam, id est, semina æternitatis, ut disputat* Scal. lib. 3. Poët. c. 12. & 20. *Verba tamē quib. utuntur barbara sunt & metra ipsorū in Prosodiam & addo Etymologiam sæpissimè impingunt: eoq; minus excusari debent, quod hac barbariei macula nobilissimā linguam Latinam contaminārunt, & quidem in ipsa Roma, quæ linguæ illius quasi sedes & prima mater fuit. Sanè non infiteor Germanos nostros ante reformationis tempora in nonnullis non minus fuisse ridiculos, inprimis autem quantum ad Epitaphia; id tamen simplicitatis magis, quam barbariei*

esse

esse videtur: Memoriæ causa quædam annotare placet, ut videat juventus præteritorum temporum statum.

Primùm illud Coloniense:

Hie ligt Meister Peter im grünen Graß /
Der so gern sauer Kraut aß /
Vnd tranck gern guten Reinischen Wein/
Gott wöll seiner Seel genedig seyn.

II. Cui respondet illud cujusdam Sacrificuli.

Alhie ist zur Erden bracht / (macht/
Dessen Todt seinē Nachbawren grossen Schmertzen
Dann wann sie wolten lustig seyn
Zeigt er an wo war der beste Wein.

III. Hie ligt begraben Herr Abraham/
Ach Gott wie wars so ein frommer Mann /
Er lehret die Knaben das A B C.
Ideo requiescit in pace.

Id quod non ita pridem Hassus quidam sic imitatus est:

Alhie ligt N. N. begraben
Der gelehrt hat die Schützen Knaben /
Das A be ab vnd A B C.
Genadt jhm Gott er kont nicht meh.

IV. Simile est prope imperialem Gelnhusam.

Vnder disem Stein
Ligt begraben der Pfarherr von Vdenheim /
Er war nicht von Eißleben/
Gott geb jhm das ewig Leben.

V. Tritum & notum est illud in Pomerania.

Hie ligt begraben Herr Melcher
Ein Pfarherr gewest ist welcher/
Er hat gelebt in Tugendt vnd Zucht/
Ist gestorben an der Wassersucht/
Schaw doch lieber Leser frey/
Ist das nicht schad/Ey Ey.

VI. In vicinia nostra hoc hodieq; legere est.

N. N. diser Gemein ein Gliedt/
Auch im Ampt ein Landtsatzer mit/
Ist diser Pfarr Mitler gewesen/
Hat sie helffen bringen in Bauw vnd Wesen/
Da er kam auß Franckreich gezogen/
Thet er sich in den Ehestandt wogen/
Legt 5. fl. zu disem Stifft/
Auß Lieb zu Gott vnd seiner heiligen Geschrifft.
Verhofft zu Gott in Glaubens Sinn/|
Sterben kom̃ jhm zu Gewinn.

VII. Placet & illud annotare quod tu doctissime Hesselbachi ex itinerario tuo suppeditasti.

Jedem ein Ey/
Dem frommen Schweppermann zwey.

Id quod extare dicebas in Cænobio Castel à comitibus Friderico de Castelberg, qui obiit Anno 1103. *Otthone d: Halsbach, qui decessit Anno* 1125. *& Berengario de Sultzbach Anno* 1125. *fundato:* Cujus *in templi ambitu pictus est Eques quidam nomine* Seyffridt Schweppermann/ *cui prædictus rythmus Epitaphii loco subscriptus est:*

est: Factum enim est aliquando in bello quodam Bavarico, ut in summa penuria victus adveheretur plaustrum ovorum, ibi Dux Bavaricus distribuentibus ova mandavit ut singulis unum tantum darent, Schvveppermanno vero duo. Omitto hic longè plurima ne videar risum potiùs movere, quàm antiquorum simplicitatem ostendere. Hæc autem si quis comparet cum illis quæ pag. 8. & sequentibus annotavi, &c. manifestò deprehendet barbaros scholasticos fuisse longè crassiores & rudiores in lingua sua Latina quam nostrates in lingua Germanica. Illud nunc tacere non possum eosdem nullo in loco inventionis, magis ineptos, magis ridiculos fuisse, quam in una notatione Exempla annotavi plurima pag. 17. & 18. ut Horatianum illud usurpare coactus fuerim: Auditum admissi risum teneatis amici. Verùm enimverò cum Orationem meam jam habuissem & publicè pronunciassem offert mihi Clarissimus vir, Dn. M. Joannes Stumpffius designatus Physices Professor *amicus & collega meus honorandus, Ca-lendarium Etymologicum Papisticum ex sola historia Lombardica, cujus autor fuit* Jacobus de Voragine, *collectum à Clarissimo & Excellentissimo Viro* Dn. M. Erasmo Schmidt, *Græcæ linguæ Professore in inclyta VVittebergensium Academia. Immortalem* Jehovam, *quam futiles hic deprehendi Etymologias! quàm barbaras notationes! quàm insulsas nominum derivationes! sine risu opusculum legere non potui. Quis enim tam putidus aut stupidus caudex esset, ut intra cuticulam tam arctè se continere posset? Quia tamen exemplaria in manibus nostratium nulla, & fortè per Bibliopolas variè distracta, & à studiosa juventute avidè excepta erant, & aliquis forte cogitare potuisset me in Oratione mea pro libitu verborum & rerum monstra finxisse (quod enim antehac aliis accidit, quidni mihi accidere quoq; posse judicarem) non potui non illud meis hisce in fine propter materiæ affinitatem subjicere, ut viderent omnes, candidè me rem egisse, & scholasticos Philosophos non immeritò barbariei & ruditatis accusavisse.*

 Hæc

Hæc autem omnia qualia qualia etiam sint, à multis expetita fuerunt & descripta: Ea propter toties rogatus, ea publici juris facere constitui; Vestris autem nominibus Viri Nobilissimi & Præstantissimi, *utpote qui studium antiquitatis & me pariter sincerè amatis, inscribere, non dubitans quin pro candore vestro benevolo animo suscepturi, contra calumnias adversariorum defensuri, & me perpetuum amaturi sitis. Valete: perscribebam Giessæ in Musæo meo, Anno* 1608. *die* 13. *Aprilis.*

V. V. Nobilit. & H. H.
addict.

Casparus Finckius, Logices
Professor publicus.

L. S.